

Ipsæ Christus discipulorum suorum impolitos adhuc mores, virtutis omnis fons, patientissime sustinuit; iis dormientibus in Oliveto ipse vigilavit, nec eorum somnolentiam indigne, sed paterne tulit. Denique, S. Basil. in Ps. XXXIII. ait: « Quemadmodum ossa ingentia sibi vi prætere-ram carnis molliem suffulciunt, et pressius contrahunt: itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti fortitudine debiliū fulcire ac ferre imbecillitatem. »

Similiter etiam non temere statim abjiciendus proximus cum depravari incepit: sicut non statim deseritur aut amputatur membrum, cum putere incipit. Certe Dominus jussit leprosum, etiam judicatum, per septem dies retineri et includi, antequam omnino excluderetur, et ad leprosus ejiceretur, ne ei fieret injuria, Lev. XIII. Christus etiam Judam diu toleravit, antequam abscinderet et projiceret.

Denique, inhonestiora fratrum tegenda sunt, sicut manus obtegunt nuditatem partium inhonestarum: *Ut etiamsi quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari non patiatur*, ait Theophylactus. Excusanda igitur, quantum fieri fas est, proximi peccata ad exemplum Domini dicentis: *Nesciunt, quid faciunt*. Cum enim Dominus scelus Judæorum excusare non posset, pallio saltem ignorantie textit: *Nesciunt, quid faciunt*. Sic Constantinus M. imp. contentiones clericorum libello sibi exhibitas in ignem abiecit, addiditque, se, facinus episcopi, si videret, suo paludamento cooperturum. Pulchrum aliud exemplum hæc de re scribit Dorotheus abbas, doct. VI. t. II. bibl. ss. pp. in hæc verba: « Viri sancti, cum patientia et charitate fratrem trahunt, neque ipsum calcibus impetunt, aut odio insectantur, sed veluti mater, quæ deformem filium peperit, non eum spernit, quia deformis est, sed materno amore, benevolentia, et mansuetudine ornatum reddit, et quidquid gratum noverit, facit: sic illi peccatores semper suscipiunt, ornant, tuentur, protegent, ut tandem eum revocent et erigant, neque alius ab eo lædatur; ipsi vero magis in Christo charitate proficiant. Ita sane fecit Amon sanctissimus, cum ad eum venissent fratres, ira et furore pleni, quod mulierem in cella monachi deprehendissent: quantum enim mansuetudinis et charitatis in eo iudicio anima illa sancta præ se tulit? Nam ubi cognovit mulierem sub dolo latere, statim super illud sedit, jussitque fratres per cellam universam querere. Qui cum nihil invenissent, dixit ad eos: Parcat vobis Deus, illosque pene confusos præmonitosque, ne facile crederent adversus proximum, dimisit. Fratrem autem illum ad tempus corripuit erexitque;

illis enim explosis omnibus solius manum tenens: Curam tui habe, frater, dixit. Qui statim oratione compunctus respicit, et benignitate et clementia patris sanatus est. »

VI. Sibi mutuo non irascuntur, etiam si unum ab altero offensum sit. Si enim propriam linguam momorderis, non ideo dentem excutis; vel si pes labatur, non percute illum, etc. Unde apostolus ait. *Deus temperavit corpus, ut non sit schisma in corpore*. Sic Samaritanus, licet sciret exosum Judæis esse, nullius tamen odii recordatus est, aut appetitus ulciscendi: saucius autem Judæus fuit. Potuisset dicere Samaritanus: Nunc de te ulciscar me Judæe; sed nihil horum dixit. Cum facta esset rixa inter pastores gregum Abraham et Loth, Abraham uno verbo eam compescuit, dicens: *Ne, quæso, sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos: fratres enim sumus*, Gen. XIII. Pudeat ergo fratres cum fratribus, lævissimis sæpe de rebus iudicio contendere. Quid enim ait apost. I. Cor. VI. *Frater cum fratre contendit?* Quale spectaculum foret, si cujus manus sinistra cum dextra altercaretur? Quid non tolerant matres a filiis? Quas non ineptias, imo injurias eorum perferunt, quodque amplius est, extenuant? Quam cito oblitæ ad maternum sese affectum recipiunt, a quo aliquantum per subitam iram recessisse videntur? In Aquitania nefarius quidam adolescens, a sua matre sæpe objurgatus, eo progressus est petulantie, ut quodam die (o prodigium) in ejus offam alvum exoneraret. Id ubi rescivit magistratus, lictores misit, qui carceri eum manciparent nec ita multo post extremo affectus est supplicio. Dum autem duceretur, non cessabat infelix mater, excusare natum et vociferari; nihil in eo culpæ residere, injuste damnari innocentem. Refert Chavass. de prudentia, l. I. c. VIII. § IV. Cur non ergo leviores offensas fratrum toleremus, et quidem ob amorem Christi, maximi nostri amici?

VII. Unum alteri non invidet, licet eo nobilius sit et nobiliori loco: alterum humilius et humiliori servitio deputatum. Unde apostolus ait. *Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit*. Non invidet pes oculo, quod is loco sublimi et sub tecto stet, ipso vero lutum perambulare debeat, infimo loco constitutus; nec manus, quod hæc annulo vestiatur et armillis aureis, et suaveolentibus chirothecis, ipse vero vili dumtaxat corio. Rursum non indignantur reliqua membra, quod ventri omnia, ipsis parum valde de cibis communicetur. Ita Samaritanus non invidebat Ju-

dæo, quod id is equitaret, ipse pedes iret. Quare idipsum nobis etiam faciendum: non invidet ignobilior gloriam, opes, dignitatem, aliasque commoditates nobiliori, sed cogitet se pedem, ipsum vero manum aut caput a Deo constitutum esse in corpore Ecclesiæ.

Denique, nec unum membrum alteri malum suum optat aut infert; imo brachium ægrum patitur se abscindi ne vicina membra inficiat, eximi deus affectus, ne vicinos dentes putredine sua corrumpat, tametsi id sine magno dolore fieri non potest. Pari igitur lege non imprecetur unus alteri.

Atque hæc est unio, auditores, quam apostolus requiritur in corpore Ecclesiæ: hæc dilectio proximi, sicut sui ipsius, quam requirit Dominus in hodierno evangelio. Quæ si in nobis fuerit, tunc vero Deo placebimus, sicuti universum tum demum erat *valde bonum*, placuitque Deo, quando simul junctum et in unum corpus summa concordia compaginatum, lustratum est ab eo. Quoniam igitur unum corpus sumus omnes, diligamus omnes invicem, veluti membra unius corporis copulemur invicem, mutuo charitatis fœdere, ut ita conglutinati simul evehamur ad patriam cœlestem.

CONCIO III.

DELINQUENTES CORRIGENDI.

I. Jubet lex charitatis: 1. Naturali ex præcepto. 2. Ex ratione. 3. Ex charitate christiana. — II. Jubet peccati gravitas: 1. Quia alioquin peccas in te. 2. Peccas in proximum. 3. Peccas in remp. — III. Suadet ingens fructus: 1. Lucraris fratrem tuum. 2. Gaudium paris angelis. 3. Mercedem tibi Christus dabit. N. B. Huic concioni respondet concio VII. dom. XVI. post. pentec.

THEMA.

Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Luc. X.

Quod Samaritanus in hodierno evangelio mandavit stabulario seu domino hospiti, ut curam ægri haberet: hoc idem Samaritanus noster, Christus, mandavit nobis, auditores; imprimis vero summo pontifici de universa Ecclesia, imperatori de orbe christiano, episcopo de diœcesi, prælato de religiosis, duci de militibus, patrifamilias de servis, parentibus de liberis, propinquo de propinquo, imo et cuilibet de proximo suo. Quia Eccles. XVII. dicitur: *Mandavit illis, unicuique de proximo suo*. Mandavit, inquam,

ut si quis horum videat aliquem sibi commissum in peccatum aliquod lapsum aut labentem, adeoque in latrones, dæmones incidisse, ei mox appropiet, medicinam correctionis adhibeat, ejusque curam habeat: quo modo Samaritanus in hodierno evangelio, Christus inquam de cœlo ad nos accurrit, ut medelam ægris afferret. Sed quam parum hoc Domini exemplum et mandatum observetur, in eo monstravit Dominus, quod dixit sacerdotem et levitam viso jacente saucio pertransiisse, unum Samaritanum accessisse, misericordia commotum. Non obscure enim significat, plures esse, qui delinquentes negligant, eosque fere præpositos qui suo ex officio corrigere eos debeant, quam qui curam adhibeant. Multi sunt Caini dicentes: *Num custos fratris mei sum ego?* Gen. IV. Quibus proinde ostendendum esse duxi, quanto jure ad hoc obligentur.

I. Jubet lex charitatis et amicitie, ratione cujus obligamur corrigere errantes et primo naturali ex præcepto, quod etiam agnoverunt philosophi gentiles, Plato, l. X. de leg. Arist. l. eth. cap. III. Sumus enim ejusdem nature et eundem in cœlo Patrem habemus et alter alterius ope indiget; nemo solus sibi sufficit. Hinc et bestie legem hanc agnoscunt. Narrat enim Plin. lib. VIII. cap. VIII. quod si in foveam cadat elephas, protinus cæteri congerant ramos, moles devolvant, aggeres construant, omnique vi et communi opera conentur eum extrahere. Accuratius adhuc scauri pisces, qui videntes socium aliquem in nassa conclusum, si is capite conetur egredi, extra caudam ei porrigunt, qua mordicus apprehensa captus eluctetur. Si vero captivum cauda apprehendere possunt, apprehensum extrahunt: *Hoc illi quidem faciunt more hominum, tametsi de amicitia libros non legerint*, inquit Alian. l. I. cap. V. Abeant igitur ad bruta, qui videntes amicum aut proximum subditum præsertim, in hæresi aliove detentum, educere non festinant. Observamus quidem hanc legem in rebus parvi momenti: uti cum aliquem indecore vestitum advertimus, aut maculam in facie contraxisse videmus, aut lapsui proximum cernimus; parentes admonent liberos, cum vident eos sinistra uti pro dextra, etc. Sed in rebus maximi momenti, cum videmus in proximo aut liberis turpissimam peccati maculam, minime observamus; nonne ergo nos ipsos condemnamus? Nonne illi sumus, de quibus Dominus, Matth. XXIII. *Duces cæci: excolantes culicem, camelum autem glutientes?* Orentus abbas montis Sina, cum aliquando inverso sago, ita ut de foris totus villosus appareret, ecclesiam intrasset,

et ob id a fratribus rideretur, ait: *Vos evertistis Sina, et nemo quidquam vobis dicit. At ego, quod sagum inverterim, dicitis: Quare convertis sagum tuum? Ite, corrigite, quod evertistis, ego corrigam, quod everti, Præf. spir. c. CXXXVI.*

Secundo, ratio id ipsum dicat, ut ignorantem et errantem recte consulamus, jacentem erigamus. Hinc lex illa rationi admodum conformis, Deut. XXII. « Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem et præteribis, sed reduces fratri tuo: » et rursus: « Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicias, sed sublevabis cum eo. » Hoc enim faciunt, ratione ipsa dictante, rustici et coloni. Quin et Alph. Arragonum, Neapolis et Siciliæ rex, cum per Campaniam iter faceret, et in agasonem incidere, (eujus jumentum sarcina onustum in luto hæserat) prætereuntium opem implorantem, ipse rex ex equo descendens suam in asino e luto extrahendo operam agasoni impendit: et consternatum ob id agasonem veniamque petentem placidis a se dimisit verbis, Panorm. in ejus vita, l. I. Voluit igitur Deus ea lege rationem hominis urgere, ut multo magis adlaborarent in educenda e peccati luto anima peccatrice: *Quomodo enim non summa inhumanitas est et ferina crudelitas, inquit S. Chrys. hom. de ferenda reprehensione, t. I. sub. fin. non tantum nos curæ impendere hominibus quantum alii jumentis? Si tuum jumentum amittas, egredere ad quærendum et undique discurre: si vero servi tui anima in discrimine pereundi versatur, non eidem succurrere conaberis? Unde S. Bern. I. IV. de consid. c. VI. exclamat: Heu cadit asina, et est qui sublevet eam: perit anima, et nemo qui reputet!*

Tertio, charitas christiana requirit, ut nos, ejusdem corporis membra speciali obligatione invicem succurramus, juxta præceptum Christi, Matth. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus (a potiori, si in alium) corripe illum.* Cujus etiam exemplum hodierna parabola designatum stimulat nos. Christus enim, verus Samaritanus, ideo de cælo descendit ut peccatores salvos faceret: et propterea triginta tres annis in terra discurrit, undique oves errantes quærens, id quod imitari nos jubet cum subjungit: *Vade et tu fac similiter, q. d. esto et tu Samaritanus et proximus ejusmodi homini in peccatum lapso.* Nonne hæc charitas Christi urget nos? ut ait apost. II. Cor. V. *Quemadmodum enim exemplum Alphonsi predictum absque dubio movit ejus aulicos, ut nemo non illorum adjuvaret agasonem: sic urgere nos debet exemplum Christi.* Atque, hinc piæ illæ æmulationes sanctorum. S. Joannes ev. juvenem episcopo commissum,

et ad latrones elapsam ac perversum, conscenso equo festinus revocavit paternis clamoribus: Apostolus Paulus cupiit anathema esse pro fratribus, Rom. IX. S. Joan. Chrys. hom. in Act. millies optabat esse cæcus si per hoc liceret suorum animas convertere: Serapion seipsum vendidit, primo, mimis gentilibus, deinde, Manichæo, quo ad fidem alios converteret, uti etiam fecit, apud Theod. in hist. ss. pp. c. LXXXIII. Vitalius cum famæ dispendio prostibula adiit, et ibidem orans meretrices convertit, in vitis pp.

II. Hortatur peccati gravitas, quia si eum possis ac debeas, negligas proximum corrigere, primo teipsum graviore crimine obstringis; dicit enim S. Aug. serm. de verbis Domini: *Si neglexeris corrigere, factus es pejor illo.* Tu enim contra charitatem peccas, ille vero forte contra temperantiam, castitatem, etc. Et si ex officio tenearis corrigere, peccas etiam contra justitiam, et præterea peccantem in errore confirmas. Unde Seneca, in traged. IX. ait: *Qui non vetat peccare, cum possit, jubet.* Poterit ille vel in ignorantiam vel in cæcum affectum crimen rejicere: tuum vero purgari non poterit, cum in tuo conspectu morientem videas et non serves. Quare sibi dictum existimet quilibet, maxime qui præest, quod prophetæ illi dictum, III. Reg. XX. *Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Cum fure nemo vult ambulare, nemo eum domo recipere, nedum furto ejus interesse; quia nemo vult ejus scelus in se transferre. Jam vero qui blasphemum, v. g. audit, nec reprehendit, aut cum ex officio tenetur, non castigat, furem gloriæ Dei quasi receptat, scelerisque ejus particeps redditur. Hinc Seneca, in Prov. dixit: *Amici vitia si feras, facis tua.* Sed nimirum illud cavemus, quia lege civili punitur: hoc non item, quia lege divina tantum prohibetur, cujus minæ floccipenduntur.

Secundo, crudelis es in proximum qui peccat; quia ægrum dimittis et perire sinis, sicut sacerdos et levita transeuntes juxta vulneratum. Quomodo non crudelis foret in hominem insanientem, proprio jugulo cultrum apponentem, qui hoc videns cultrum ei non adimeret? Similiter medicus, qui mortiferam ægri plagam videret, et cum posset, sanare nollet? S. Hier. in Ps. CXL. ait: *Si viderit in corpore carnes putidas, et dicat: Quid ad me pertinent? Scias, quia crudelis est, si autem præscindat et cauterium imponat, misericors est, quia sanat hominem:* et S. Aug. serm. XVI. de verb. Dom. *Tu vulnus fratris tui contemnis? Tu cum vides perire, et negligis? Pejor es tacendo, quam ille conviciando.* Multi ob amorem, quem habent erga amicum, vel honorem etiam, corri-

gere ejus peccata nolunt. Sed amor hic et honor crudelis est; nolunt enim contristare amicum, et non dubitant eum relinquere pereuntem. Pereat hic amor; siquidem propterea aliquando maledicent in inferno liberi parentibus, subditi magistratui, sodales sodalibus. Unde Prov. VII. dicitur: *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.* Amor absconditus est, quando metu offensionis, non audes, quem diligis, corripere, qui amor plurimum nocet.

Tertio, delinquis in temp. quia peccatum pestis quædam est, quæ nisi corrigatur, sæpe totam communitatem inficit. Clarum vero est, magistratum si peste infectam domum non ocluderet, iniquum fore in totam civitatem. Cum unum pecus foramen in sepe aperuit, et perripit in segetem, totum mox subsequitur armentum, nisi quam primum ruptura reparetur. Sic ubi magistratu præsertim, uni connivetur in aliquod erimen, statim id alii imitantur: *Sicut enim (ait S. Chrys. hom. XV. in ep. ad Tim.) si impune peccatur, plurimi delinquent: ita si peccata puniantur, complures virtuti student.* Quod si homo quispiam ejusmodi sepe rupisset, cogeretur a magistratu reparare damnum, quod per ingressum pecudis datum est. Similiter coram Deo reddet rationem pro omnibus illis animabus, quæ unius delinquentis, non emendati, pravo exemplo sunt seductæ qui cum potest et tenetur, non emendat. Unde Seneca, lib. de moribus ait: *Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit.* Atque hinc fit sæpe justo Dei judicio, ut propter unius crimen non punitum, tota puniatur communitas; quemadmodum de Heli sacerdote legimus, I. Reg. IV. ob cujus peccatum, dum filios corrigere neglexit ea qua decebat severitate, duo ejus filii et triginta millia civium ceciderunt, ipsaque adeo Dei arca capta fuit; ut disceremus, non sufficere etiam qualemcumque correctionem, sed pro ratione criminis severam a Deo exigi. Similiter Jos. VII. propter unius Achan prævaricationem ait Deus: *Peccavit Israel, et prævaricatus est pactum meum; ideoque Israel in prælio fugit, et cladem ab hoste accepit.* Quare cognito peccato Achan, Josue mox eum omnium manibus lapidari jussit, dicens: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac.* Et certe S. August. de civit. l. I. cap. IX. communia mundi mala et flagella universalia putat provenire ex omissione hujus correctionis. Nec immerito: cum enim videt Deus magistratum non uti suo scepro contra noxios; eripit illud ex illius manibus, et ipse percussit tam conniventes quam delinquentes. Quare, auditores, ignoscite magistratui et concionatoribus, si in vitia sæviant atque invehantur;

quia illis minatur Deus, Ezech. XXXIV. dicens: *Væ pastoribus Israel, etc. quod infirmum fuit, non consolidastis, et quod ægrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis, et quod abjectum est, non rethivistis; et quod perierat, non quæstistis.* Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum: et Isa. LVI. *Canes muti non valentes latrare.*

Quamquam sunt aliquæ circumstantiæ excusantes ab hoc debito fraternæ correctionis. Prima, cum non speratur fructus emendationis, et præsertim cum putatur emendandus deterior evasurus. Ita enim Sapiens, Prov. IX. ait: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Hinc Zeno cuidam seiscitanti, cur se unum omnium non corrigeret, respondit: *Quia tibi non credo, scilicet te fore meliorem, Laert. in vita philosoph.* Secunda, cum lapsus speratur brevi seipsum emendaturus, vel cum se jam emendavit. Recte enim Seneca, lib. de morib. ait: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, (intellige de fraterna correctione, non de juridica) sed ne peccetur; res enim optima est non sceleratos castigare, sed scelera.* Confirmat hoc apostolus, qui I. ad Tim. II. ait: *Peccantes coram omnibus argue.* Peccantes ait, non eos qui peccaverunt. Tertia, si non constat, saltem probabiliter, fratrem peccasse. Ait enim Sap. Prov. XXIV. *Ne quæras iniquitatem in domo justi.* Quarta, si culpa sit venialis tantum. Ratio, quia loquitur Dominus de peccatis lethalibus, quibus homo pereat. Ait enim: *Lucretus est te.* In qua verba S. Aug. ser. XVI. de verb. Dom. ait: *Quid est, lucretus est te, nisi quia perieras si non lucretur te.*

III. Suadet fructus maximus, quem fidelis et discreta correctio parit. Primo enim, lucraris fratrem tuum, Domino testante, Matth. XVIII. « Nullius autem rei pretium, inquit Chrysost. hom. III. in ep. I. ad Cor. est cum anima conferendum, ne totus quidem mundus, quamobrem etiam si divitias innumerabiles dederis pauperibus, nihil tale efficies quale is qui convertit animam. » Quid non faceres, ut amicum e periculo submersionis eriperes? Et si illum eripuisses, nonne tibi rem magnam præstitisse videreris? Unde Chrysost. hom. de habenda cura salutis proximi, ait: « Nautæ, licet navis secundo vento feratur, cum tamen vident alios vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt navem, detrahunt vela, ejiunt anchoram, ejiunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto emergat. Imitare et tu nautas, cum videris navigantium aliquem natere in fluctibus et jam submergi,

relictis negotiis tuis, statim illius provide salutem. » Hæc Chrysost. Nimirum tanti est vita hominis caduca; sed quanto præstantior vita ejusdem æterna; et si magnum fuit lucrum, quo S. Paulus Romam navigans servavit a naufragio omnes animas, quæ cum eo orant, 276. (Act. XXVII.) quas Deus donavit apostolo ob illius merita; quanto majus est lucrum animarum, quas a naufragio gehennæ præservaris? Tametsi vero qui corrigitur, id modo sæpe non agnoscit: agnoscat tamen suo tempore et tunc immortales aget tibi gratias, juxta id Prov. XXVIII. *Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.* Nonne ebrius aliquis, qui hodie vel pecuniam fundendo perdit, vel duellum inire contendit cum longe fortiore aut pluribus; si tu ei pecuniam abscondas vel gladium, eumque in cubiculo aliquo includas, cras mane ubi erupulam edormit, ad se rediens, magnas tibi aget gratias? S. Amandus episcopus Argentinensis, cum Dagobertum regem argueret de peccatis jussu S. Petri, qui ei apparuerat, primo ingratus erat, ita ut regno extruderetur; sed tandem respicienti Dagoberto gratissimus factus est, Naclerus, tom. II. gener. XXI.

Secundo, gaudium paris angelis, si quem erantem reduxeris. Sic enim et Salvator noster gaudium fecit angelis Dei, quando requisivit et humeris suis retulit ovem perditam, Publicanos inquam, Luc. XVI. Quod ipsum etiam facit suo modo quicumque peccatorem ad viam bonam reducit. Si enim: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente, plusquam super nonaginta novem justis*, sequitur, quod ejusmodi gaudium angelis creet, quicumque peccatorem convertit. Quantum vero hoc est, angelos in cælo lætificare? Quanta gloria foret duci, qui nunc hostes nostros hæreticos vel exterminaret, vel potentia sua subactos ad fidem nostram converteret, et per hoc totam Ecclesiam nostram lætificaret? Si rem designaret, unde summus pontifex et omnes episcopi, Rom. imperatores et omnes imperii ordines populusque universus mirum in modum recrearentur? Quam gratum nobis afferret nuntium, qui Turcam aut principem imperii ad fidem convertisset? Quantum si sibi vel hoc solo nomine deberet gratulari?

Tertio, mercedem promisit tibi Christus in hodierno evangelio: *Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*, in judicio enim particulari compensabit tibi laborem quem insumperis in corrigendo et convertendo proximo. Ibi tot coronas accipies, quot ad meliorem frugem perduxeris. Sic enim apos-

tolus vocat Philippenses, c. V. *Gaudium et coronam suam.* Sic olim Carthagine tot annulis quis ornabatur, quot militias toleraverat; quid in illo die gratius afferre possimus Christo, non video. Idque vel ex eo satis patet, quod Dominus tertium commiserit Petro oves suas tam tenero et serio affectu: *Simon Joannis, diligis me? Pasce agnos meos.* Et quid tandem merebitur, qui non solum paverit, sed insuper errantes oves reduxerit? Ac licet is quem corrigis et mones, correctionem non acceptet, oleique et vini medicamentum in eo pereat: non tamen perdes mercedem tuam. Non enim dixit Dominus stabulario: Sana illum, sed: *Curam illius habe*, id est, operam adhibe, fac quod in te est, etc. et cum rediero, reddam tibi.

CONCIO IV.

CORRECTIONEM ÆQUO ANIMO ACCEPTANDAM ESSE.

I. Quia correctio est signum divinæ benevolentiae. — II. Quia salutaris. — III. Quia gloriam potius quam ignominiam nobis parit. — IV. Quia correctio sprete mali hominis indicium. — V. Quia sprete celerem Dei vindictam solet experiri.

THEMA.

Alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.
Luc. X.

Rerum naturalium sedulus indagator, Plinius. l. IV. cap. XXII. ait: *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei.* Propterea fortasse noster Samaritanus e duobus his liquoribus composuit pharmacum suum, quo sanaret miserum illum vulneratum a latronibus; pharmacum inquam, gratissimum e gratissimis liquoribus. Verum, auditores, si intelligamus, quid hoc pharmacum designet, timeo, ne permulti sint, quibus id ingratum, imo ingratisimum sit. Proximorum enim correctionem, auctore D. Greg. l. XX. mor. cap. VI. denotat, quæ quidem ita constituta esse debet, ut ex una parte leniat velut oleum, ex altera mordeat velut vinum. At vero quam multi sunt, qui hanc a se repellunt? Oleum quidem admittunt, sed adulatoris, quo palpari et mulceri volunt: vinum correctoris respuunt. Non ita vir secundum cor Dei, David, qui Psalm. CXL. *Corripiet me justus in misericordia*, ecce vinum et oleum Samaritani, correctio et misericordia: *Oleum autem peccatoris*, hoc est, adulatoris blandimentum: *Non impinguet caput meum.* Non ita etiam homo ille vulneratus a latronibus, medicinam enim Samaritani tametsi ex parte mordacem libentissime admisit,

et gratissimam sibi habuit, quod itidem nos omnes faceremus, auditores, si intelligeremus, quantum bonum sit correctio, seu paterna, seu fraterna: quantum etiam malum, contemptus correctionis, id quod nunc docebimus.

I. Æquo igitur et grato animo admittenda est correctio. Primo, quia signum est divinæ erga nos benevolentiae. Scimus ex libro Esther, c. IV. regis benevolentiae indicium fuisse, cum rex auream virgam protenderet ad aliquem regi locuturum. Aurea virga est correctio: qui vero corripit, sive superior sive frater tuus, manus Dei est, in signum benevolentiae ad te extensa. Nisi enim te salvum vellet Deus, virgam illam et manum suam ad te non extenderet. Propheta Malachias missus a Deo ad increpandos Hebræos ita incipit sermonem suum: *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachiae.* Quid tibi vult hoc onus? Tristem, onerosam et increpatoriam prophetiam seu concionem. Sed quorsum ea mittitur? Ad Israelitas, Dei servos. Per quem vero mittitur? Per manum et os Malachiae, qui Heb. significat angelum. Ergo revera angelus est, qui nos corripit, a Deo nobis missus, et quidem ad nos, non contra nos; quia ad salutem nostram. Amicus est, non inimicus. Quid enim amicus nisi animi custos? Inde enim appellationem habet. Propter ea D. Chrysost. hom. XXIV. in Act. apost. ait: *Corripere peccantem, plus esse quam pro eo orare.* Magis enim propinque, magisque efficaciter succurrit periclitanti. Hinc olim in Clarevallensi monasterio pius hic mos viguit, ut si quis ab altero de aliquo defectu moneretur vel reprehenderetur, illico reprehensus in gratiarum actionem pro reprehendente recitaret orationem Dominicam, ut habetur in chron. ord. Cisterc. *Accipe igitur*, inquit D. Bernardus Cisterciensium decus, *correctionem tamquam donum e cælo delapsam, et ita gratum te exhibebis ei, per cujus manum eam accipis.*

II. Quia salutaris; sanat enim morbos tuos, monstrat tibi nævos tuos, ostendit tibi viam cæli. Sed audiamus de hac re ss. patres. S. Augustinus, l. de correct. et gratia, cap. V. ait: « Quicumque corripit non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripit non vis. Non vis enim tua vitia tibi demonstrari: non vis, ut feriatur, fiatque tibi utilis dolor, quo modicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi ut eum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas fœditate. » S. Chrysostomus cum ab amicis quibusdam monitus esset de prolixitate concionum, in hom. de ferend. reprehens. tom. II. respondit se valde illis obstrictum esse ob eam admonitionem. « Nam

IV. PARS ÆSTIVALIS.

si inquit, vestem habeas dissutam aut sordidam et faciem maculatam, magnum tibi præstat beneficium qui, ejus rei monet, gratiasque propterea illi agis. Quanto igitur magis rationi erit consentaneum gratias ei agere, qui de animæ maculis monet, ut eas abstergas. » S. Basilius: « Si chirurgos, inquit, diligis corporis vulnera curantes, etiamsi crucient doloremque inferant, eisque mercedem pro labore et animi gratitudinem reddis; quanto magis diligendus is est, gratiæque illi agendæ, qui animæ vulneribus medetur? Intellexerunt hoc et gentiles. Cum enim quidam ab amico reprehensore sese abalienasset, Cato ei dixit: « Noli indignari amico: apem enim propter aculeum non odisti, sed foves et tueris propter fructum. Cur igitur amici objurgationem fers adeo inique, quam propter benevolentiam plurimum amare debes? Maximus, serm. VI. Apis igitur est correctio, quæ etsi pungit, mel tamen præstat; ideoque, S. Aug. super Joan. ait: *Si me possis docere quod nescio, non solum te verbis sed et pugnis cadentem deberem patientissime sustinere.* Gentilis etiam fuit Philippus Macedonum rex, qui cum in autione sedens parum decenter vestitus esset, quidam eorum qui vendebantur, exclamavit: *Parce mihi Philippe, a patre enim sum tibi amicus.* Philippus interrogavit, undenam hæc amicitia conflata esset? Tum ille: *Volo*, inquit, *propius accedens dicere.* Qui cum admisus esset, quasi arcani quidpiam dicturus: « Dimitte, inquit, chlamydem aliquantulum; nam ad istum modum indecenter sedes. » Mox Philippus: « Hunc, ait, dimitte liberum; nesciebam enim prius illum mihi verum amicum esse, donec melioribus institutus sum ab ipso, » Plut. in apophth. Sensit ergo rex prudentissimus eos præcipuos esse amicos, qui prope nos instruunt. Quanto ergo amicior nobis esse debet, qui non de inhonesta sessione, sed de inhonesta morum conversatione nos fidenter admonet.

III. Quia gloriam nobis potius quam ignominiam parit, si aures ei præbeamus. Hoc enim testatur Sapiens, Prov. XV. *Inauris aurea et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem.* Sensus est; qui alterum corrigit, quasi in aurem auream auribus ejus appendit. Ornamentum ergo est tibi correctio, non dedecus. Accedit Ecclesiasticus, c. XX. *Quam bonum (Græce quam pulchrum) est correptum manifestare penitentiam!* Pulcherrima est enim correcti si grato et obsequenti animo admittat correctionem, humilitas, obedientia, gratitudo, penitentia: uti vicissim abominabilis refractarii arrogantia pertinacia et serpentinus furor, de quo Ps. LVII. dicitur: *Furor illis secundum similitudinem*